

E. g. 1. Eruditio comparatur partim naturâ, partim curâ.
 2. Deus alios eligit, alios reprobât; verbum Dei aliud terret conscientias, ut lex; aliud consolatur territas, ut evangelium; animalium aliud est viviparum, aliud oviparum. 3. Ex argillâ fiunt urcei, ollæ, cacabi &c. 4. Anima alia est in plantâ, alia in animali.

Effectiva est, cùm causatum dividitur in suas causas: ut, finitum in suos fines, effectum in suas efficientes, materiatum in suas materias, formatum in suas formas.

Exempli gratiâ. 1. Prædia sunt urbana, vel rustica: hominum alii resurgent ad vitam, alii ad mortem æternam: disciplinæ sunt contemplatrices, vel operatrices; & hæ activæ, vel factivæ: rerum domesticarum aliæ ad necessitatem, aliæ ad commoditatem, aliæ ad voluptatem pertinent. 2. Doctrina alia est divinitus infusa, alia præceptis & usu acquisita: Scriptura est prophetica, vel Apostolica: calor vel à Sole est, vel ab igne; fames alia est ex sterilitate, alia ex vastatione; animal est vel univocum, natum ex parentum efficaciam, vel æquivocum, natum ex putredine; jus est divinum, vel humanum. 3. Siclus Legis erat aureus, vel argenteus: poculum aliud est aureum, aliud argenteum, aliud stanneum, aliud ligneum. 4. Animal est rationale, vel irrationale: linea vel recta est, vel obliqua.

Distributio subjectiva est, cùm subjectum, si-
 ve recipiens, si-ve occupans in sua adjuncta distribuitur:

Ut, verbum Dei aliud est ἑσθησιον, aliud ἀσθησιον: foedus Dei est vetus, vel novum; sensibile aliud est objectum visus, aliud olfactus &c.

Hic sunt duo canones:

1. *Subjecti per sua accidentia divisio potest institui secundum omnia ferme accidentium genera:*

Ut, ex quantitate hominum alii sunt gigantes, alii pygmaei, alii medii; ex qualitate est homo doctus, vel indoctus: fidelis, vel infidelis: alius naso simo, seu repando, alius aquilino, alius retorto, alius recto: ex actione, quidam